

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De conventiculis**

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus  
Gottesheim, Johann Ernst von  
Leonhard, Georg Friedrich**

**Argentorati, 1705**

§. 8

**urn:nbn:de:bsz:31-105832**

constat: ita progressu temporis factum est, ut novis ritibus, precibus & actionibus additis paulatim ab illa simplicitate defleterent Christiani, quando præsertim cessantibus persecutionibus pax Christianis redita, & consilia humana tepescentes hominum animos actionibus variis accendere laborarunt; donec non sine superstitione tandem res in immensum excrevit, adeo, ut conciones, hortationes, & quæ veteribus sueta Lingua vernacula, vel nota saltem, sacra pene cessarent, novis pro Clero potius, quam plebe, ritibus substitutis: de quibus prolixe h.l. nostrum non est agere.

## §. 8.

*De privatis.*

De privatis potius antiquorum congressibus & conventibus, ut proprius ad nostrum institutum accedamus, jam quædam comemoranda sunt: Quibus Conventibus sacris privatis accensemus illos, quando Paterfamilias collectis in unum domesticis suis, vel legebat scripturam, vel etiam, (prout in primitiva Ecclesia dona extraordinaria in usu erant) concionabatur, hortabatur, & solabatur suos. Sic alios quoque Christianos in primitiva Ecclesia convenisse ex necessitate, imminentे persecutione, defectu Magistratus, quandoque & ministrorum Ecclesiae, aliisque de causis nec negari potest, nec debet. Quandoquidem saevitia persecutorum non permittebat publicos Coetus, quandoque disturbabat, sicut & de verbo DEI Virgines loquerentur ad Lanam. Ob objecta namq; ab Ethnicis crimina discutienda, serio ac diligenti studio verbum D<sup>I</sup> discendi, propagandique ad alios, tūm ministri, tūm auditores pariter tenebantur. Ac testatur Tatianus omnem apud Christianos etatem atq; ordinem philosophari. Ac in ipsis quidem qui tūm grassabantur persecucionum fluctibus, necessitas eos ipsa impulisse viderur. — Charitas præterea & dilectio mutua, inter eos fervens erat; castitatis, justitie, honestati, veracitati, beneficentie, patientie, longanimitati & id genus alii virtutibus impense studebant: invicem sibi compatientes, seq; mutuo consolationibus in calamitatibus erigentes, & in afflictionibus confirmantes. Hoc denique omnium commune erat studium, ut alij alios instituendo, admonendo, corrigoendo, & objurgando edificarent melioresq; redderent. Hactenus Centuriat. Cent. II. c. 6. f. 92.

## §. 9.